

1721 Bulla antichristi.
 2. Duo Scripta duorum
 doctorum Lipsid 1550
 3. Matth. flaccij Christiana
 admonitio. 1550
 ejusdem, von interlin.
 5. M. Juciken Gaulilijf. Buss
 6. in h...
 Lutheri. 1552



7

EXPLICATIO

LOCI SANCTI PAVLI

Rom. 3. Nunc autem reuelata est Iusticia Dei sine lege &c.

In quo tum propositio ac scopus Epistolæ ad Romanos continetur, tum tota ratio Iusticiæ ac Iustificationis exponitur,

Contra Osiandrum,

Matth. Flacij Illyrici.

VITEBERGÆ

Ex officina Ioannis Lufft

Anno M. D. LIII.

V. Augusti.

J. II Bl. 85 verso



Inter loca clarissime iustificationem peccatoris describentia, post eum, qui est Rom. 4. ubi clare David & Paulus asserunt, iustificationem, seu iusticie imputationem, esse remissionem, contentionem & non imputationem peccatorum seu iusticie, est uel precipuus ille Rom. 3. qui sic incipit: Nunc autem sine lege reuelata est iusticia Dei &c. usq; ad finem ferme Capituli. Qui locus & totius Epistole propositio, scopus ac caput est, & ueluti summa. Quem ipsum locum Oslander longa declamatione, nempe toto ternione H. I. & parte K. Refutationis Philippi magna arte ac studio corrumpere conatur. Dicit nos eum breuiter tractare solere, & mox deponere, ueluti si nobis manus instar candentis ferri adureret. Quare ipse sciens mendacia & sophismata melius in uerborum copia, ueluti in sylua insidias, celari posse, prolixè rhetoricatur & multa nihil ad rem pertinētia dicit. Christo ergo iuuante, eum locum ab eius iniuria sophismatibusq; uindicabo. Quod ut paulò clarius efficiā, rem paulò altius repetā.

Etsi ergo omnibus temporibus, inde ab Adamo usq; ad nos, semper in uera Ecclesia prædicata sint simul lex & Euangelium, tamen à Mose usq; ad Christum, nescio quomodo lex plus est inculcata, à Christo porro usq; ad nos, Euāgelium. Quod &
Paulus

Paulus indicat Gal. 3. & 4. docēs, q̄ usq; ad Chri-
stum fuerimus sub pædago lege. Postea uero ue-
niente Euangelio cessauerit ille pædagogus. Causa
eius rei fortassis aliqua ex parte fuit cæremonia-
lis lex, quæ postea desijt. Inde igitur factum est, ut
Iudæi & alij ad Iudaismum conuersi, multum fidu-
ciæ in lege seu legis operib. collocarēt, putarentq;
se per eam omnino saluari posse & debere, Cui ta-
men errori non parum augmenti tum ipsa ratio
hominis suppeditat, quæ legem facilius intelligit,
& inde auxilium expectat, tum & uelamen illud
Moisi, quod simpliciter omnes hortatur ad obe-
dientiam legis, tanquam si ea esset eis possibilis, fa-
cientibusq; uitam promittit, non facientibus uero
mortem minatur.

Contra hanc ergo opinionem cum pugnent
Apostoli, & in primis S. Paulus, inde ab ini-
tio huius Epistolæ usq; ad hunc locum uehementi
legis prædicatione probauit (sicut & concludit)
frustra Iudæos & omnes omnino homines, spera-
re ex lege iusticiam, cum nemo ipsorum satisfa-
ciat. Eam enim tantum peccata reuelare, idq; esse
iam eius proprium officium, non iusticiam aut sa-
lutem monstrare aut exhibere.

Hac parte suæ concionis perfecta, letus pro-
silit ad alteram potiore, nempe ut demonstret,
unde uera iusticia haberi queat, inquit ergo: Nunc
uero sine lege iusticia Dei reuelata est, habens te-
stimonium à lege & Prophetis. Quasi diceret: Ha-

A ij etenus

Et enus multum audistis legem & Mosen, & in eo
prestando sudastis, ex quo tamen iusticiam ha-
bere non potuistis. Nunc uero uenit salutaris Euan-
gelij doctrina, per Filium Dei allata, quæ nobis ue-
ram iusticiam reuelat, commonstrat & exhibet.

Ea ergo Spiritus alacritate concitatus est
ob istum tantum iusticiæ thesaurum, recens per
Euangelium allatum, ut desistere non possit dicere
de ista (ut ita dicam) noua iusticia, recensq; inuen-
to thesauro aut præciosissima gemma. Quare ex-
plicat omnes eius causas, subinde Iusticiæ suauissi-
mam uocem, usitata quadam Hebræis figura, repe-
tens, & ueluti ad caput rei recurrens, docens,
A quo detur, Quomodo, Cui, Per quem, Per quod
medium, & Ad quem finem, & Qualis ea iusticia
sit. Sed adscribam totum locum in quasdam par-
tes distributum, ut eum commodius explicare
possim.

1. Nunc uero absq; lege Iusticia Dei manifesta-
ta est, habens testimonium legis & Prophetarū.
2. Iusticia uero Dei per fidem Iesu Christi in
omnes & super omnes, qui credunt. Non enim est
distinctio, Omnes peccauerunt, & destituuntur
gloria Dei.
3. Iustificantur autem gratis per illius gratiam,
per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem
proposuit Deus reconciliatorem, per fidem in
eius sanguine.

Ad

4. Ad ostendendam iusticiam suam propter remissionem præteritorum peccatorum, quæ Deus toleravit.

5. Ad ostendendam iusticiam suam in præsentem tempore, in hoc, ut ipse sit iustus, & iustificans eum, qui est ex fide Iesu.

6. Vbi est ergo gloriatio &c, Arbitramur ergo fide iustificari hominem &c.

Quinquies hic iusticiam repetitam uideamus, denuoq; Paulum de ea dicere incipientem, tanquam si ab ea, ueluti à dilectissima sponsa auelli non posset. Atq; ita, uti bonum doctorem decet, omnes eius circumstantias explicantem, quæ tamen sermonis figura alioqui Hebreis, ut in meis Hebraïsmis ostendi, usitata est.

Primum dicit de doctrina, per quam sit hæc iusticia manifestata, nempe, non per legem à Mose datam, unde eam Iudæi expectabant, Sed per prædicationem Christi seu Euangelij, Et tamen habere eam testimonium etiam à Prophetis & lege Mosi, scilicet, si ei uelamen detrahatur, recteq; & acutè in faciem inspiciatur. Quanquam illud sine lege etiam significat non contingere iusticiam per opera legis, ut Iudæi falso credebant.

Secundo docet de medio, per quod ista iusticia contingat, nempe per FIDEM. Et cui offeratur, nempe omnibus hominibus, quia omnes sint miserissimi peccatores, omnesq; hac gratuita seu præcaria iusticia egeant, quantumuis ipsi fortassis de

A iij sua

Sua operum iusticia tumeant & superbiant. Excipe tamen semper Papistas & Monachos, qui adeo operibus supereructationis abundant, ut quantumuis ea quotidie miseris peccatoribus uendant, nunquam tamen ullam eorum penuriam paucitatemq; sentiant.

Tertio, iam docet, à quo ista Iusticia ueniat seu detur, & per quem, & qua ratioe. A Deo, inquit, uenit gratis, iustificantur ex mera gratia. Vbi causa efficiens remotior indicatur. Quomodo ergo iustificantur? Per redemptionem, quæ à Christo credenti contingit, Vbi formalis causa iusticiæ indicatur. Indicat enim eam idipsum esse, quod redemptionem, cum redemptio non primam illam beneficij huius acquisitionem, sed presentem applicationem à Pontifice nostro cœlesti uenientem significat. Cum enim per Christum ex carcere iræ diuinæ, quo ob iniusticiam seu peccatum coniecti eramus, redimimur, tunc, tanquam si iusti essemus, ob meritum Christi dimittimur, liberamur, iustificamur seu absolui mur.

Iustificatio ergo seu absolutio est illa ipsa ex peccato seu iniusticia & ira Dei redemptio seu extractio, seu reconciliatio & acceptatio. Quod & Paulus Colos. 1. clare testatur, inquiens: In Christo habemus redemptionem, per sanguinem eius remissionem peccatorū, Ostendēs idem plane esse, redemptionē & remissionē peccatorū. Vnde clare apparet, redemptionem seu remissionem peccatorum
rum

rum esse formalem causam nostræ iusticiæ. Sic & Paulus sequenti Capite remissionem seu non impu-
tationem peccatorum seu iniusticiæ, uocat Iusti-
ciam. Per quem autem contingit peccatoribus ista
iusticia siue Iustificatio? Quis eius autor esse-
torq; est? Per Christum propiciatorem. Hic proxi-
ma causa efficiens exponitur. Per quod medium?
per Fidem. Hic est causa instrumentalis. Quid ue-
ro apprehendit ista Fides, seu in quo fundatur?
In sanguine Christi. Hic materialis iusticiæ causa,
qua iustificemur, monstratur. Quod sit sanguis seu
passio Christi, id est, tota eius impletio legis, obe-
dientia & passione præstita, Ea enim fides niti-
tur, eamq; apprehendit, Non substantialem Dei
Iusticiam.

Quarto, ostenditur causa finalis prior seu
proxima. Cur hæc Iusticia, seu propter quem effe-
ctum, reuelatur? Quis eius usus est? Propter re-
missionem peccatorum, quæ hætenus Deus tolera-
uit, Seu ut Deus remitteret, tolleret & aboleret
per eam præterita peccata, Quasi diceret: Quod
si cupis, pie Lector, scire, quis huius Iusticiæ usus
& finis sit, Seu propter quæ finem nunc demum,
post tam longo tempore prædicatum Moisen, Iusti-
cia hæc reuelatur & ostendatur, dicam tibi, Pro-
pter hunc nempe, ut iniusticiam seu peccata,
quæ tam diu Deus patienter tolerauit, quæq; Mo-
ses neq; per sanguinẽ hircorum aut taurorũ, nec
per opera legis, quantũuis id multi frustra suda-
rent

A iiij rent

rent, ullo modo tollere potuit. Nunc demum hæc Iusticia remitteret, oboleret & in profundum maris (ut Propheta loquitur) abijceret. Sicut non semel legis, Nos sanguine Christi totos mundatos, dealbatos & iustificatos esse. Sicq; ergo hic diuerso respectu idem effectus & formalis causa est.

Quinto, Posterior seu ulterior finalis causa indicatur. Cur ergo ista Iusticia, tam diu dilata, hoc tempore reuelatur? Nempe ob gloriam Dei, ut celebretur Deus, q; ipse sit iustus & iustificans. Quod quidem iustus sit, cognitum hactenus est ex prædicatione legis, quæ docet eum omnia iusta & recta amare, & contraria odisse, bonis bene, & malis male facere, ac per quam omnibus sua peccata reuelat, eosq; iniusticiæ redarguit ac damnat. Quod autem etiam sit iustificans, id est, gratis ex misericordia peccatores ob meritum Christi tanquam iustos acceptans, iustificans & absoluens, peccata non imputans, & iusticiam imputans, hoc ostendit nunc Euangelium. Sicq; ergo Deus perfecte glorificatur, cum & ex lege hactenus prædicata cognoscitur, q; sit iustus, & ex Euangelio, nunc clarius, quàm unquam antea inuulgato, q; clementer peccatores ob Christi satisfactionem fide apprehensam iustificet seu absoluat. Atq; ita & Iusticia Dei per legem, & misericordia eiusdem per Euangelium cognoscitur.

Nunc

Nunc explicato uere ac integre textu, & non obiter tantum tacto, ut nos Osiander calumniatur, uideamus quoq; eius sophismata, quibus hunc locum corrumpit, ut cognoscatur, quemnam dictum istud candentis ferri instar adurat.

Non tractat ipse hunc locum totū, sed incipit à uoce, *Gratis iustificati*. Cæterū sentētia reuera inchoat & dependet ab eo principio, *Nunc autem reuelata est iusticia sine lege &c.* Primum ergo sophisma, quod admittit, est in textu: *Iustificati gratis eius gratia, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu &c.* Vbi uellet ille talem efficere sensum, ac si esset scriptum, *Iustificati gratis eius gratia, quæ est acquisita per redemptionem in Christo Iesu &c.* Verum cum illa uerba (quæ est acquisita) non adsint nobis, qui tantam plenitudinem diuinitatis non habemus, quantam sanctus uir O=SIANDER, non licet quidquam addere ad uerbum Domini, & alioqui non est dubium, quin (per redemptionem) ad iustificati pertineat, & cū co=costruendū sit, ut Paulus dicat, *Nos iustificari per redemptionem seu redemptione, tanquā formali causa.* Accedit & illud adiumentum & subsidium nostræ sententiæ, quod dicit, *Per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, id est, quæ iam ex Christo Iesu, seu à Christo Iesu habetur.* Quod clare indicat cum loqui non de effectu seu merito (ut Osiander

A v dri

dri interpretatio uult) redemptionis, quasi redemptio iustificationem meruisset, sed de effectu Christi, id est, de beneficijs, quod nunc inde ex Christo Iesu, seu Christianismo nobis donatur & attribuitur, ut nos uolumus, Nam si de ipso proprie merito loqueretur, non diceret, per redemptionem, quæ est seu habetur in Christo Iesu, sed per redemptionem Christi Iesu, scilicet, quam ille olim acquisiuit. Quod diligenter rem perpendenti, Pauliniq; sermonis non ignaro facile apparebit. Nam omnino illud, quæ est in Christo Iesu, non tantum in latino, sed & in græco præsentem beneficij communicationem, non illam ueterem eius acquisitionem indicat. Quare Paulus de præsentis forma & communicatione iustificationis, non (ut Osiander uult) de illa olim ante 1500 annos facta eius acquisitione agit.

Secundum eius sophisma, est in particula, Ad exhibitionem &c. **Nuff das er darbiete etc.** Quæ particula commodissimè cohæret cum illo initio, Nunc autem reuelata est &c. Sicut & sequens, Ad exhibitionem &c. omnes istæ repetitiones eo respiciunt, & inde dependent. Quasi diceret: Ideo nunc doctrina de iustificatione sine lege per Euangelium reuelata est, ut Deus exhiberet iusticiam suam, propter remissionem peccatorum, seu ut peccata tam diu tolerata, aliquando tandem per eam remittat, tollat & aboleat. Sensus ergo est Pauli, Ideo nunc, id est, tempore Christi
sti

sti reuelata est clarius iusticia, quàm unquam ante, ut ea singulis credentibus exhibeatur, ob uel propter remissionem peccatorum, id est, ut per eam illorum credentium iniusticia seu peccatum tollatur & aboleatur. Quod autem repetit antecedens, IVSTITIAM, & non simpliciter dicit, ad exhibitionem EIVS, id more Hebræis usitato fit.

Tertium ipsius sophisma est in uocabulo *dia*, per uel propter, quam uoculam hic Bucerus uertit, PER, & D. Martinus *In dem das.* & uterq; intelligit iusticiam per remissionem peccatorum exhiberi seu esse ipsam remissionem peccatorum. Verum Sanctus uir, utpote utroq; illorum longe doctior, contendit uertendum esse, propter, & somniat porro hoc mirabile somnium, quia iam ante 1500 annos sint nobis peccata remissa, ideo & propterea iam nobis iusticiam exhiberi. Bellum sane commentum magniq; ingenij, si non esset tam propalam falsum, Nam Plato docet uerisimiliter mentiendum esse. Atqui Grammatici græci notant, & exemplis quoq; probant uoculam *dia* etiam cum accusatiuo aliquando, per, significare, & non tantum propter.

Sed sit sane uerum, quod hic uocula ista *dia* propter significet, illud certe constat, quòd particula *dia*, ob & propter non tantum efficientem causam, sed & finalem sæpe significet, sicut solent Philosophi finalem causam uocare, propter quid. Vtrumq; sane recte dicitur, Filij Iacob iuerunt in
Ægyptum

Ægyptum propter mandatum patris, & propter
querendum frumentum. Seu mercator abiit pere-
gre d'ix propter pauperiem & propter lucrum.

Quare cum aliàs sæpius à nobis probatum
sit, falsissimum esse, remissionem peccatorum no-
bis ante 1500 annos contigisse (ut Osiander fal-
so asseruit) Contingit enim nobis per fidem, sicut
& alia Christi beneficia, cum petimus, Remitte,
remitte nobis debita &c. sed potius iusticia (ut
paulò post declarabitur) sit iam olim per prædi-
cationem Christi & Apostolorum reuelata &
ostensa, ut & Paulus hic loquitur: Sequitur neces-
sario remissionem peccatorum, quæ singulis con-
tingit, non causam esse reuelatæ in Euangelio iusti-
ciæ, sed effectum. Sensus enim est, Iusticia Dei ad
hoc olim per prædicationem Christi & Apostolo-
rum reuelata est & ostensa, & omnibus tempori-
bus reuelatur, ostenditur & exhibetur, ut per
eam peccata credentium, quæ Deus hætenus
magna patientia tolerauit, remittantur & abo-
leantur.

Sicut enim lumen accenditur & infertur pro-
pter dispulsionem tenebrarum, seu ut tenebræ
dispellantur, sic Iusticia exhibetur propter remis-
sionem seu abolitionem iniusticiæ seu peccato-
rum, seu ut iniusticia remittatur & aboleatur.
Quare quemadmodum abolitio tenebrarum no-
ctis, non causa, sed effectus ortus aduentusq; solis
est, Sic quoq; remissio seu abolitio iniusticiæ seu
peccati

peccati nō causa efficiēs exhibitionis Iusticiæ est,
ut Osiander delirat, sed eius effectus seu opus con-
sequens. Cum dicimus: Sol oritur ob uel propter
abolitionem tenebrarum noctis, non id profecto
uolumus, quòd ideo iam sol oriatur, Quia tene-
bræ iam olim ante mille quingentos annos dis-
pulsæ sint, sed ideo iam à Deo nobis exhiberi so-
lem, ut nunc præsentis tenebras tam diu toleratas
aboleat.

Quartum, & ferme præcipuum eius so-
phisma statuit in uocibus, IN PRÆSENTI TEM-
PORE. Id tempus ei est, non id, quo Paulus hæc
scripsit, sed omne tēpus, quando prædicatur Euan-
gelium, ac si Paulus dixisset: In omni tempore.
Cum ergo, inquit, Iusticia nobis exhibeatur hoc
nostro tempore, & remissio peccatorum iam olim
contigerit ante 1500 annos, ergo oportet in-
gentem distantiam inter ista duo esse. Sane opi-
nor, si quis perpetuo ab eo tempore hætenus iter
fecisset, admodum procul ab illa prima meta es-
set. Verum falsum esse, remissionem peccatorum
nobis contigisse ante annos 1500, Sed iam per
fidem contingere, aliàs probatum est. Et Paulum
propriissime hic loqui de suo tempore, inde appa-
ret, quod initio huius textus dixit: Nunc autem
reuelata est Iusticia Dei sine lege &c. Quod
NUNC propriissime intelligitur de Christi &
Apostolorum tempore. De eadem enim re agit,
& in describenda ista Iusticia Dei, quæ post illam
legalem

legalem à Mose reuelatam, tanquam diu doctam,
nunc demum per Christum & Apostolos clarius
quam unquam antea reuelatur & ostenditur, ad=
huc commoratur.

Vltimum sophisma adhibet in uoce SOLVS,
Vertit enim Luth. Vt ipse sit solus iustus & iustifi=
cans. Quam uoculam etsi sciat in græco non esse,
ac alioqui multum simulet, se non habita ratione
hominum, purum sacrarum literarum textum se=
qui, ut est in Hebræo & Græco, tamen hic liben=
ter hac occasione rudes deciperet. Etsi autem ue=
rum sit, Deum solum per excellentiam uere bo=
num & iustum esse, fontemq; omnis iusticiæ & bo=
nitatis, atq; ideo Lutherum causas suas habuisse,
cur ita uerterit, tamen & illi boni iusti q; sunt,
quos ille optimus artifex bonos, teste Scriptura,
creauit, ut Angeli & homo ante casum, & in pri=
mis ipse Dominus Christus Iesus, qui de Spiritu
sancto conceptus est, quiq; peccatum non nouit,
ac Sanctus sanctorum, & iustus iustorum est, &
hi deniq; quos Deus sanguine Filij sui lauat, mun=
dat, supra niuem dealbat, & iustificat. Si enim
Deus eos iustificat, quis audebit eos accusare uel
damnare?

Quem ergo iam dictum istud adurit? aut
cuius magni nigriq; ursi, ut Osiander nuga=
tur potius quàm rhetoricatur, caput uerberat?
An non Anosiandri? Certe clare probaui ex to=
tius textus aptissima consonantia, quod Paulus
iustificatio

iustificationem in redemptione ponat, seu dicat,
Nos iustificari per redemptionem, quæ nobis à
Christo contingit, id est, eatenus, & eo ipso nos
iustificari, quatenus ob Christi iusticiam impletæ
legis nobis per fidem donatam nos iniusti ex car=
cere reatus & iræ diuinæ, quo ob iusticiam uiola=
tæ legis coniecti fueramus abolito peccato redi=
mimur & liberamur.

Probavi etiam eundem Apostolum in hoc lo=
co docere, quòd iusticia Dei exhibeatur propter
remittendum & abolendum peccatum seu iniu=
sticiam, id est, ut adhibito illo contrario alterum
contrarium, nempe peccatum seu iniusticia tam=
diu magna Dei patientia tolerata aliquando tan=
dem aboleatur, & in profundum maris abiicia=
tur.

Probavi deniq; Osiandrum in explicatione
seu potius euerfione huius dicti Pauli, multa false
& sophisticè asseruisse. Atq; ideo egregie
mentiri, cum dicit, Nullum dictum in
tota Scriptura esse, quod magis con=
tra nos pugnet quàm istud.

FINIS.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.





Di 3407

(X227 3794)

He 544

Rom
207





EXPLICATIO

LOCI SANCTI PAVLI

Rom. 3. Nunc autem reuelata est Iusticia Dei sine lege &c. In quo tum propositio ac scopus Epistolæ ad Romanos continetur, tum tota ratio Iusticiæ ac Iustificacionis exponitur,

Contra Osiandrum,
Matth. Flacij Illyrici.

VITEBERGÆ
Ex officina Ioannis Lufft
Anno M. D. LIII.
V. Augusti.

Handwritten note: II Bl. 85 verso

